



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Postvlatvm II. Tam certo ea credi quae hic probabuntur, quam creduntur  
reliqua, quae paris roboris rationibus nituntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## POSTULATA.

## POSTULATUM I.

Postuletur adhiberi hic animum docilem, & veritatis studiosum; non refractarium, & pertinacem.

*Postulati primi aequitas ostenditur.* I. Nec enim hic animum tam convinci, quam persuaderi velim. Illud rationes fortasse nostræ efficere poterunt; ea est Christianæ cauſæ veritas: hoc de sola animi æquitate & candore sperare licet. Quod si ab a quo Lectore impetro, uti me imperaturum confido, alterum hoc facile mihi concedet:

## POSTULATUM II.

Tam certo ea credi quæ hic probabuntur, quam creduntur reliqua, quæ paris roboris rationibus nituntur.

I. Postulati secundi aequitas ostenditur. II. Premittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum.

*Postulati secundi aequitas ostenditur.* I. Quidni hoc impetrem quod postulo, cum non hic de lana caprina, non de vanis iis Philosophorum questionibus, non de temporariis rebus controversemur; sed de re omnium maxima, unde salus æterna pendet, vel numquam desitura calamitas. Quod si ex iis quæ vel experientia teste, vel lumine naturali duce, vel ratione, vel morali fide habemus perspecta aut persuasæ, vita hujus normam absque dubitatione ulla aut tergiversatione sumimus, cur non paris auctoritatis rationibus ad idem in re longe gravissima faciendum impellimur, æterna nimur beatitudine consequenda? Ad iter accingeris in crastinum: æstate ligna reponis in hyemem, hyeme glacies in æstatem: seris arbores quæ alteri seculo profint; nec certi tamen habes quicquam, vel de seculo futuro, vel de futura æstate & hyeme, vel de die crastino, præter conjecturam, quam de præteritis fecisti. Spe lucelli fortunas omnes suas mari committit mercator, & ad Indos mittit, quos numquam adiit, & quos esse fando tantum accepit. Quod si res proposuero, similibus argumentis, moralibus nempe comprobatas & compertas, cur non parem adjunges fidem? cur in fluxis rebus & vanis tantum hujusmodi rationibus tribues; in gravissimis & æternis tantum iisdem detrahes? cumque Geometrarum imperia patienter feras, nec eorum Postulatis quantumlibet inquis parere detrides; æquissimo huic Postulato non annues?

*Premittuntur nonnulla de Postulatis Geometrarum. Procl. libr. 3, in Euclid.* II. Inqua dixi Postulata Geometrarum, qui ea concedi sibi volunt, quæ nec facta sunt unquam, nec futura, nec ulla arte humana fieri possunt. A puncto ad punctum lineam duci, quovis centro & intervallu circulum describi jubent, ut facile faciat, *ατεχοντες καὶ επιτελον*, ( sic enim loquitur Proclus. ) cum nec punctum esse possit, nec linea. Cæterum dubitabat Timon in libris contra Physicos, an aliquid sumendum esset ex Hypothesi; atque hanc Hypotheseon licentiam Sextus Empiricus solerter coœrcuit. Plurima præterea Euclidis Postulatis inesse vitia mox probabimus, postquam Communes notiones alias præmisserimus, quarum prima haec est:

